DEO TRINUNO ADJUVANTE

HASCE THESES DE MAGISTRATU POLITICO ACCOMMODATAS *ad hodiernum ſtatum Sacri Romani Imperii.*

SUB PATROCINIO

CLARISSIMI AC JURECONSULTISSIMI VIRI,

DN. HELFRICI-ULRICI HUNNII J.U.D.

ILLUSTRISS. CELSISSIMIque PRINCIPIS AC DOMINI,

DN. GEORGII,

HASSIÆ LANDGRAVII, &c. CONSILiarii, celeberrimæ Academiæ Marpurgenſis Profeſſoris, Procancellarii, Præceptoris ac Fautoris mei æternùm colendi.

Publica cenſura in ICtorum auditorio ſubmiſſurus eſt

JOHANNES GEORGIUS LAJUS

SUINFURTO-FRANCUS.

Ad diem 11. Octobris

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

MARPURGI,

Ex Officina Typographica Caſparis Chemlini,

M. DCXXVI.

VIRIS

Ampliſſimis, Clariſſimis ac Conſultiſſimis,

Dn. GEORGIO RUPRECHTO, U. J. D. Liberæ ac Imperialis Reipubl: Suinfurtanæ Syndico meritiſſimo:

Dn. ANTONIO RUFFERO, J. U. D eximio.

Dnn. Patronis ac Promotoribus ſuis omni officiorum genere colendis.

Hoc exercitium publicum offert & dedicat.

JOHANNES GEORGIUS LAJUS, A. & Reſp.

THESIS PRIMA.

CUM definitio omnium anchorarum ſit firmiſſima, idcircò & nos à definitione initium ſumimus. Magiſtratus eſt perſona, à Deo ordinata, *a* ut externam hominum ſocietatem honeſtis legibus regat, *b* bonos defendat, *c* malos verò puniat *d*.

a *Quamvis etiam ſanioribus Ethnicis ex natura lumine quodammodo notum fuit, Magiſtratum eſſe divinum inſtitutum, unde illud* Poëtæ Aſcræi ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες: *Nobis tamen, ut Chriſtianis, ſacra Scriptura pleniorem & planiorem exhibet cognitionem, quod* DEUS *ſit autor Magiſtratus: ſic enim* Paulus ad Rom. 13. verſ. 1. *dicit: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non enim eſt poteſtas, niſi à Deo. Et* Proverb. c. 8. v. 15. *inquit* Sapientia: *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt, per me Principes imperant, & potentes decernunt juſtitiam. Quæ ſanè verbi divini teſtimonia probè ſunt expendenda, & rationi noſtræ opponenda, quando conſiderat ambitionem eorum, qui ad dominatum aſpirant; item faſtum, injurias, & injuſtitiam Tyrannorum, judiciorum civilium perverſitatem & corruptelas: Vitia enim perſonarum ab ipſo officio prudenter ſunt diſcernenda. Magiſtratus ſiquidem eſt à Deo, licet abuſus poteſtatis ab ipſo non ſit, nec ipſi placeat.* b *quas* Papin. in l. 1. ff. de ll. *vocat communem ſponſionem Reipubl.*

 Nam

Nam per has aperit Magiſtratus ſuam voluntatem ſubditis eoſdemq; retinet in officio: injuſtos & impios corrigit, ac certis cancellis includit. Hinc Modeſtin. in l. 7. ff. de ll. *illis adſcribit vim imperandi, vetandi, permittendi & puniendi. Et obligat legis juſſus nos ad obedientiam & pœnam, ejusq; autoritas omnibus eſt venerabilis & tremenda*, l. 9. §. 3 ff. de rer. diviſ. *non ſolūm quia ſancta eſt, & ſanctione pœnæ ſubnixa*, d. l. 9. §. propriè. *ſed etiam quod Deus Magiſtratum ejusq; rationabiles ordinationes approbet, nec violatores impunitos eſſe vult.* Rom. 13. *Obligant porrò leges nos in conſcientiis ad obligationem tam civilem, quia ſunt membrorum noſtrorum domina*, arg. l. liber homo, ff. ad l. Aquil. *quàm nturalem, textus eſt elegans* in l. 25. ff. de action. rer. amot. Bartol. ad l. ex hoc jure, col. ult. & Bald. ibid. ff. de juſtit. & jur. Bartol. ad l. non ſolùm, §. 1. ff. de injur. Jaſ. ad l. ſi tibi decem, §. 1. n. 1. ff. de pact. Beſold. claſs. 1. diſput. polit. 1. th. 32. D. Gœdd. ad l. 6. ff. de verbor. ſignif. n. 7. & 8. *Debent autem leges, ſi illis obedientia eſt præſtanda, eſſe honeſtæ, & ad regulam ſummæ illius legis, quam in mente tanquam κριτήριον & normam omnis juris circumferimus*, Cic. lib. 2. de legib. *congruere & aptari*, c. erit autem lex. diſtinct. 4. *Legis enim anima eſt ratio*, arg. l. ſcire 17. ff. de ll. *Hinc dicimus: Legibus impiis, & iniquis vel de novo divini cultus genere inſtituendo, ab impio & infideli magiſtratu latis, nos nequaquam obligari. Neq; etiam debent leges adverſari naturæ: nam quæ rerum naturâ prohibentur nullâ lege confirmari poſſunt*, l. ubi pugnantia, 188. ff. de reg. jur. in pr. diſtinct. 13. c *Magiſtratus parentium bono à Deo inprimis ordinatus eſt, eiusq; officium conſiſtit in iſta l. 12. tab.* Salus Reipubl. ſuprema lex eſto; *ad quam maximam imperandi velut ad Helicen & Cynoſuram in adminiſtratione ſemper ſpectabit. Pro Republ. bonus Princeps vel magiſtratus quilibet vigilare, & ſcire debet illud*

Saluſtii:

Saluſtii: Maximo Imperio curam ineſſe: Omnium enim ſomnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor eſt, omnium vacatio illius occupatio, ut inquit Seneca conſ. ad Polyb. *Ideò remiſſum aliquando animum habebit, nunquam ſolutum*, idem. *Conſiſtit autem ſalus & cura Reipubl. ut maximè in his duobus, nimirum in defenſione bonorum, & pœnâ malorum. Defenſio autem verſatur non ſolùm circa ipſam perſonam defendendam, ſed etiam circa res. Perſona defenditur, cum magiſtratus, cui ſubditorum tutela eſt tradita, non ſervitus*, ut Seneca *ait, eos in fidem & clientelam ſuam ſuſcipit, contra omnem vim cùm internam, tùm externam, tuetur ac defendit, ut ita vitam ſuam cum ſuis tranquillè & ſecurè tranſigere poſſint. Res verò ipſorum etiam ſunt defendendæ, quod fit, quando magiſtratus, cujus, ut dixit* Seneca de Clem. *Reſpublica non eſt, ſed qui ipſe eſt Reipubl. operam dat, ut illa opibus firma, copiis locuples, gloriâ ampla, virtute honeſta ſit, ſecundum* Ciceronem 5. de Republ. *quando ſubditorum fortunas in tuto collocat, juſtè judicat, unicuiq; id quod ſuum eſt, tribuit, perſonam nullius reſpicit, ſed æqualitate jus univerſis æqualiter impertitur*, Boter. lib. 3. de orig. urb. c. 21. *Quid multis? Imperialis benevolentiæ proprium eſt, ut inquit* Imp. Lotharius in c. 1. princ. de prohib. feud. alienat. per Lothar. *commoda ſubjectorum inveſtigare, & eorum calamitatibus diligenti cura mederi, ſimiliter Reipubl. bonum ſtatum ac dignitatem Imperii omnibus privatis commodis præponere. Hoc ipſum etiam reſcribit* Juſtinian. in Novell. 8. in princ. *Populi namq; bonum non ipſummet principatum propoſitum principaliter ſibi habere debet Magiſtratus, ut rectè ait* Vaſq. illuſtr. controv. 1. c. 1. n. 10. d *Quod delicta hominum puniantur, intereſt Reipublicæ*, l. 51. verſ. quod ſi quis, ff. ad l. Aquil. l. 95. §. 1. verſ. ſanè, ff. de ſolut. l. 70. §. 5. ff. de fidejuſs. *curare enim debet magiſtratus, ut civitas à malis hominibus purgetur*, arg.

l.3.l.congruit 13. ff.de offic. præſ.ad d.text.l.3. C.de Epiſc. audient. *Nam ſicut omnis pœna bona, iuſtitiæ adſpectu; ita impunitas mala, quæ efficit, ut diutius ſceleſti vivant*, Lipſ.2.Conſtant. c.10. *cùm tamen finis & ſcopus pœnæ ſit vel eſſe debeat, ut homines exemplo deterriti minus delinquant*, l.6.§ 1.l.28.§ famoſos, ff.de pœn. *ſed ad emendationem potius deducantur*, l.ſi pœna alicui, 20.ff.eod.

II.

Definitione præmiſsâ, ſequuntur diviſiones Magiſtratus, *a* qui vel eſt ſecularis, vel Eccleſiaſticus. *b* De ſeculari hac vice differere animus eſt. Ille eſt ſupremus vel inferior. *c* Supremus eſt Imperator *d*.

a *Ut eò melius noſtra mens lectori benevolo pateat, notandum eſt, quod vocabulum* Magiſtratus *accipiatur dupliciter.* 1. *Pro quavis poteſtate politica, eaq́ vel mediata, quâ hodiè fruuntur Principes Rom. Imper. Barones vel Civitates Liberæ. Hi enim ſtatus ſuam poteſtatem, quam habent Imperatoriæ Maieſtati, eiusq́ Munificentiæ acceptam referunt, eorumq́ iuriſdictio pendet ab inveſtitura & infeudatione Imperatoria; vel immediatâ, quâ gaudet ſolus Imperator Romanus: A ſolo namq́ Deo habet ſuam auctoritatem, [id eſt, ſummam poteſtatem & maieſtatem, quâ in Imperio Romano præditus eſt, quicquid enim in privato eſt autoritas, in ipſo eſt maieſtas, in quâ Imperii conſiſtit ànima & vita,] Sic Henricus Auceps ad Ottonem filium dixit; En tibi Imperium non à maioribus mihi relictum, ſed per memetipſum acquiſitum, & à ſolo Deo conceſſum*, Witich. lib. 2. rer. Sax. *Et Archiepiſcopus Moguntinus hoc ipſum etiam confirmat in Ottonis coronatione his verbis: En adduco vobis Imperatorem à Deo electum. Hinc etiam in iure civili vocatur Sanctiſſimus*, l. Titia Sejo 87.§.fin.ff.de legat.2. *Divinus*, l. ex libris 42. in princ. C. de acquir. poſs. *non quod hâc ratione præpotenti*

tenti ac immortali Deo, quod ipſius proprium eſt, eripiatur: ſed potius, quod Imperator officii ſui debeat eſſe memor: quandoquidem divinæ Maieſtatis eſt imago, ut Alber. loquitur in princ. ad l. decernimus, C. de SS. Eccleſ. *Et dicitur Imperator à ſumma poteſtate imperandi, quod omnibus ſubjectis Romano Imperio imperat, & ſuperiorem in temporalibus non recognoſcit* Bald. in proœm. Cod. *Summæ autem poteſtatis ea eſt natura, ut ſuperiorem agnoſcere ſine implicatione contradictionis non poſſit: Nam ſupra quod aliquid ſuperius eſt, illud ſummum non eſt, ſicut argumentatur* Averroës diſ. 5. *ad ſummitatem Dei oſtendendam.* 2. *Accipitur vocabulum* Magiſtratus, *non pro eâ poteſtate politica, quæ vel eſt immediatè à Deo, vel mediatè ab Imperatore; ſed pro ea, quæ huic ſubjicitur; qualis eſt* Municipalis. *De hoc Magiſtratu in fine hujus diſputationis aliquid dicetur.*

b *Tempore olim antiquo Romanorum multæ erant diviſiones, & quaſi ſpecies* Magiſtratus: *Fuêre enim Prætores, Præſides, Præfecti & alii quamplurimi: Verùm quia iſte ſtatus Romanorum antiquus exolevit, noſterq; hodiernus in Romano Imperio aliam & diverſam à priori antiquo recepit formam. Idcircò nos, tempori obſerviendum eſſe putantes, & juxta* l. 25. in princ. ff. de liber. legat. *quotidiana pleniùs tractare cupientes, accommodabimus nos moribus & conſuetudinibus hodiernis, intermiſcentes quædam generalia ex Aurea Bullâ Caroli IV. & noviſſimis Imperii Conſtitutionibus: Et quænam ſint genera & ſpecies Magiſtratus noſtro hoc tempore, breviſſimè videbimus.* c

Vulgò diſpeſcunt Magiſtratum in ſuperiorem & inferiorem. Superiorem dicunt, qui nemini ſubjectus, videlicet ſummus Imperator, Rex vel ſumma Reſpublica: Inferiorem Magiſtrâtum, qui ſcilicet à ſumma poteſtate conceſſum Imperium obtinet, diſpeſcunt iterum in Majorem & Minorem. Majorem vocant, qui nullæ præterquam ſummæ poteſtati ſubeſt; aliâs Intermedius & ſubor-

ſubordinatus. *Minorem, qui ſuperioris magiſtratus Imperio tenetur, aliisq; ſeſe inferioribus vel magiſtratibus vel privatis imperat. Videatur* Herman. Kirchner. de Repub. diſp. 8. th. 1.

d *Eſt enim mundi dominus*, l. deprecatio 9. ff. ad leg. Rhod. de jact. l. benè à Zenone, C. de quadrien. præſcript. *non dominio & proprietate, ſed imperio & juriſdictione. Imperialis fortuna omnes alias ſupereminet*, l. 7. C. de bon. quæ liber. *Imperatoriq; omnes Principes Chriſtiani ultro locum cedunt*, Bodin. 1. de Repub. c. 9. pag. 127. *Imò inter omnes Reges tanquam ſtella matutina in medio nebulæ meridinalis eminet, ut dicit* Bald. in §. fin. n. 24. de prohib. feud. alienat. *& poſt eum* Menoch. 2. præſumpt. 14. n. 3 Roſendi. de feud. c. 8. concluſ. 15. *Quid enim majus, quid ſanctius Imperiali Majeſtate, inquit Imperator* Juſtin. in l. fin. C. de ll. *Unde probè notandum elogium Alphonſi Regis Neapolitani. Is enim, cùm Fridericum Imperatorem, Maximiliani I. patrem, Neapolim ad ipſum venientem veneraretur, adeò quidem, ut ætate quamvis profectior, locum tamen ſuperiorem ei tribueret, & aulici indignantes Regem Alphonſum admonerent, ne ſe tàm humiliter erga Peregrinum Regem gereret, ſapientiſſimè reſpondit. Veſtrum haud eſt iudicare de Regibus: Nos Reges omnes debemus reverentiam Imperatori, tanquam ſummo Regi, qui eſt caput & dux Regum.* Cothm. in lib. 1. Cod. tit. 1. quæſt. 1. n. 17.

III.

Qui, quod Imperator eſt, non eſt ex ſucceſſione, ſed electione Electorum. *a* Et eſt Monarcha *b.*

a *Imperium Romanum ab initiò hæreditarium fuiſſe videtur. Auguſtus ſiquidem obtinuit Imperium, ex inſtitutione teſtamentaria à Iulio Cæſare facta; Hic rurſus Tiberium, Tiberius Caligulam hæredem regni reliquit. Poſtquam autem Caligula interiit, tunc incepit jus eligendi, & quandoque à Senatu,*

quan-

quandoq; à populo electus fuit Imperator: quandoq; etiam ex Imperatorum voluntate, Beſold. de juriſd. Imp. c. 9. *Tranſlato autem Imperio ad Germanos, etiamſi in Caroli Magni ſtirpe planè fuit hæreditarium uſq; ad tempora Conradi I. Ducis Franconiæ, ut videre eſt apud* Carion. in Chron. in vita Conrad. & Genealog. Conradi Magni: *Hodiè tamen electione non ſucceſſione defertur Imperium, ut patet ex* Aurea Bullâ Carol. IV. tit. 1. *in his verbis:* ut quotieſcunq; & quandoque futuris temporibus neceſſitas ſive caſus electionis Regis Romanorum in Imperatorem promovendi emerſerit, &c. *quæ verba cum indefinitè poſita ſint, & non exprimant, quando talis caſus vel neceſſitas exiſtere poſſit, vel exiſtat, ſiquidem dictio, quandocunq; eſt univerſalis, & comprehendit omnes caſus & omne tempus, idcircò operæ pretium erit, hoc ipſum brevibus exponere. Exiſtit igitur* 1. *morte Imperatoris naturali, textus eſt in* A. B. c. 1. §. cum autem. 2. *Ingreſſu religionis, prout fecit Lotharius, qui Prumienſe Monaſteriũ ingreſſus eſt,* Otto Friſing. lib. 6. Chron. c. 1. Sigon. lib. 5. de regn. Ital. in Loth. I. 3. *Reſignatione Imperii, quod facere poteſt Imperator juſtâ ex cauſa,* arg. c. 1. de renunciat. in 6. Schrad. de feud. p. 10. ſect. 3. n. 175. Vaſq. illuſtr. controverſ. c. 11. n. 17. & ſeq. *Exemplum habemus in Carolo V. qui Imperium reſignavit fratri Ferdinando, electo Regi Romanorum,* R. A. zu Regenſpurg de anno 1559. in princ. *Nec autem hoc in caſu reſignatio in manus Præſulis Vaticani, ut volunt* Bald. in l. 3. ff. de offic. Prætor. n. 13. Joh. Coraſ. tr. de offic. elect. dign. & benef. Eccleſ. c. 8. n. 19. & alii. *Ac olim de eo haud exigua inter Paulum IV. Pontificem, & Ferdinandum Imperat. controverſia fuit, quam hiſtoriam pulchrè enarrat* Thuanus lib. 21. hiſtor. anno 1557. pag. 350. & ſeq. *ſed in Electorum ac ſtatuum Imperii eſt facienda,* Schrad. de feud. p. 10. ſect. 3 n. 177. F. Pruekman. §. ſoluta

poteſtas, c. 4. membr. 2. effect. 6. n. 48. Anton. de Roſell. tract. de poteſt. Imp. & Papæ, §. ultimò videtur, n. 25. *Etiamſi enim quidam diſtinguant, dicentes, reſignationem vel renunciationem Imperatoris fieri debere in manus Electorum ante confirmationem, poſt autem confirmationem in manus Pontificis; hos tamen refutat præjudicium in Carol. V. ſervatum, qui & confirmatus & coronatus erat, & tamen reſignavit in manus Electorum & ſtatuum Imperii.* 4. *Si juſtiſſimâ & graviſſimâ aliquâ de causâ Imperator removetur ab Imperii gubernaculis, ut contigit Adolpho Naſſovienſi,* Cuſpin. in vit. ejus. *Wenceſlao,* Dreſs. in millen. 6 in vit. Wenceſl. Mynſ. reſp. 19. n. 6. *quæ remotio itidem nō pertinet ad ſedem Romanā, ut volunt* Franc. Vargas de aut. Pontif. confirm. 10. n. 7. & ſeq. Anton. de Roſell. de poteſt. Papæ, §. quod verò, n. 3. Alph. Alvarez. in ſpecul. c. 56. n. 12. Vaſq. illuſtr. controv. c. 8. n. 28. & ſeq. Bald. in l. 8. n. 8. C. de precib. Imper. offer. *& alii quamplurimi; ſed ad Electores & reliquos imperii Ordines,* Carol. Molin. in conſuet. Pariſ. tit. 1. in princ. n. 90. Matth. Steph. de juriſd. l. 2. p. 1. c. 5. n. 47. Thom. Mich. de juriſdict. concl. 131. *qui hoc ſolis Electoribus tribuit, quod & faciunt* Schonborn. lib. 5. polit. c. 33. Bocer. de juriſdict. c. 8. n. 76. *Huic autem, quod diximus, Imperium Romanum hodiè electione deferri, non obſtat, quod illud tam diu & ferè per aliquot centurias annorum apud familiam Auſtriacam remanſerit, quo fundamento etiam motus,* Bodinus lib. 2. c. 3. in fin. de Republ. *exiſtimat; in Auſtriacâ Gente Imperium Germanorum tàm altè radices egiſſe, ut ejus evellendi nec ulla ſpes eſſe videatur. Verùm non rectè. Nam iſtius longiſſimæ continuationis Electores S. R. I. graviſſimas habent cauſas. Inter quas etiam ſunt antecedentium Impp. ex Auſtricâ domo natorum merita & beneficia maxima, eaq; plurima in Romanum Imperium collata: quæ ſanè ut filiis proſint,*

proſint, æquitas quodammodo poſtulat, arg. l. jubemus 3. §. 5. & l. laudabile 4. §. 2. C. de advoc. diverſ. judicum. *Item ſecundò potentia, ſitusq́; provinciarum & ditionum ipſorum hæreditariarum: Nullum enim eſſe principem, qui commodius ac melius Turcas à limine S. R. I. depellere, illudq́; ab illorum inſultibus, graſſationibus, oppreſſionibus, ac devaſtationibus tueri & defendere poſſit, omnes conceſſuros ſperamus: ſiquidem experientia, quæ eſt meridies veritatis, hoc ipſum hactenus ſatis ſuperq́; teſtata eſt, & adhuc teſtatur. Exinde autem non ſequitur Bodini illatio, quaſi non libera eſſet relicta Electoribus poteſtas eligendi Imperatorem. Plura apud* D. Arum. diſc. 2. ad A. B. p. 83. b

Imper. Romano-Germanicum eſſe Monarchicũ, & conſequenter Imperatorem noſtrũ eſſe Monarcham omnes politici ſanioris & integrioris judicii concedunt. Fundamẽta habent immota, eaq́; plurima, quæ omnia recenſere hic, nimis longũ foret; ſed melius apud politicos, qui hanc quæſtionẽ ex profeſſo tractârunt, præſertim apud D. D. Reinkingk de regim. ſecul. & Eccl. lib. 1. Cl. 1. c. 2. *videri poſſunt. Non ineptè autem poſſunt ipſorum fundamenta colligi, & pro defendendâ Monarchiâ ſic concludi. Quicunq; univerſorum conſenſum ſuâ autoritate firmat, ordinat, cui fidelitas, non ſolùm homagii, ſed etiam ſubjectionis juratur, ad quem feuda poſt mortẽ devolvuntur, qui in Ordines rebelles animadvertit, in illo eſt ſuprema Majeſtas. At Imperator hæc omnia poteſt & facit, prout paſſim in* A. B. *E. In Imperatore eſt ſuprema Majeſtas. Bodinus tamen & alii Monomarchomachi hoc oppugnant, adductis argumentis cùm ex A. B. tùm ex noviſſimis Imperii conſtitutionibus, ad quæ omnia breviter reſponderi poteſt, diſtinguendo nimirum inter ipſum Reipubl. ſtatum & formam ſeu rationem adminiſtrandi. Nam licet Monarchia noſtra harmonicè regatur; exinde tamen minimè ſequitur Monarchiam non eſſe. Et Imperator licet communicato conſilio procerum omnia agat,*

non tamen propterea ſe exuit ſupremâ ſuâ poteſtate, aut majeſtatem cum illis communicat.

IV.

Solutusq; eſt legibus civilibus. *a* Non tamen jus alteri quæſitum auferre, *b* vel à contractibus ſuis pro libitu reſilire poteſt *c*.

a *Scilicet poſitivis*, l. princeps 31. ff. de ll. Dd. in l. fin. C. de conſtitut. princip. *Summa enim poteſtas, qualem Imperator habet, legibus poſitivis cogi non poteſt, idq; ex hac ratione. Nam leges erunt in eũ latæ aut à ſuperiori, aut à ſubditis, aut ab ipſa majeſtate. Nõ à ſuperiori, quia ſuperiorẽ non agnoſcit; Non à ſubditis, quia implicat contradictionem, ſubditos eſſe, & dare ſuperiori leges, has enim accipere, non verò dare debent. Non à ſeipſo, quia in ſe non habet imperium*, l. 3. §. 4. ff. ad SC. Trebell. *nemoq; ſe ipſum cogere poteſt*, l. quod autem 7. §. uxori 8. ff. de donat. int. vir. & uxor. *Vnde &* Juſtinian. Nov. 105. c. 2. in fin. *dicit: Omnibus à nobis dictis Imperatoris excipiatur fortuna, cui & ipſas Deus leges ſubjecit, legem animatam eum mittens hominibus. Quando verò legibus poſitivis teneri ſe profitetur, virtuti illius, non legum efficaciæ eſt adſcribendum*, l. digna vox 4. C. de ll. *Proprium enim eſt Imperatoris, legibus vivere*, l. 3. C. de teſtam. *Et decet Majeſtati; ſervare leges, quibus ipſe ſolutus eſt, inquit* JC. Paulus in l. ex imperfecto. 23. ff. de legat. 3. *Imò poteſt Imperator contrarius commune ſtatuere, & ſic actum de jure civili invalidum confirmare. Exemplum habemus in pactis ſucceſſoriis illuſtrium perſonarum & familiarum. Etiamſi enim omnia pacta futuræ ſucceſſionis regulariter de jure civili, tanquam contra bonos mores, & votum captandæ mortis, inducentia, prohibita ſint*, l. 6. l. 15. l. fin. C. de pact. l. 3. C. de collat. *ita quidem, ut ne jurata quidem valeant*, d. l. fin. C. de pact. ubi Bart. & Dd. Canoniſt. in c. quamvis. 2. de pact. in 6.

in 6. neq. ſtatuto aut conſuetudine confirmari queant, ut notant Dd. in d. c. quamvis, Alex. in l. ſtipulatio hoc modo concepta 61. ff. de V. O. n. 7. Zaſ. ibid. n. 49. & ſeq. *Attamen Imperator propter publicam utilitatem, & familiarum illuſtrium conſervationem eiuſmodi pacta & ſtatuta gentilitia, quæ vocantur* Erbeinigung / *tuetur ac confirmat tollendo ius commune*, Gail. 2. obſ. 127. Dauth. de teſtam. n. 86. Zaſ. 2. conſ. 1. Molin. latiſſimè conſ. 8. & ſeqq. Weſenb. conſ. 71. *Licet autem, ut iam dictum, à legibus merè poſitivis Imperator ſit ſolutus: ſecus tamen eſt* 1. *in legibus divinis moralibus, quia inferior nō eſt ſolutus legibus ſuperioris. E. nec princeps legibus divinis, iuxta illud: Rex leget in libris legis omnibus diebus vitæ ſuæ, nec deflectet ab eo,* Deuter. 17. *ſed faciet ſecundum illud, quod ſcriptum,* Joſuæ 1. v. 8. 2. *In legibus naturalibus, quæ vitæ honeſtatem, moruṁq; integritatem concernunt. His enim ſubiectus manet Imperator, quia reſpectu harum adhuc civis eſt, quibus inſtar aliorum civium obtemperare cogitur, ut oſtendit* Auguſt. in c. quæ contra 2. diſtinct. 8. 3. *In legibus fundamentalibus, quæ exinde dicuntur, quia per has fundamenta Reipubl. & conſociationis civilis colliguntur. Has leges cum Imperator in ingreſſu regni iureiurando interpoſito ſervare promiſerit, idcircò ſolutus ab illis eſſe non poteſt; niſi vellet iura regni convellere, caput à membris avellere, & Imperium totum perfundare.* b *Scilicet ſine iuſta cauſa. Niſi velit uti plenitudine poteſtatis, & certa ſcientia adveniat,* Jaſon in l. Barbarius, n. 35. ff. de offic. Prætor. & in l. fin. ff. de conſtit. princip. n. 23. [*Quidam Dd. talem poteſtatem Tyrannis relinquunt, eamq; potius tempeſtatis, quàm poteſtatis plenitudinem appellant. Pulcrè* Carol. Tapia in comment. ad rubricam, de conſtit. princ. n. 69. & Ant. Faber in C. definit. forenſ. lib. 1. tit. 11. defin. 1. n. 19.] *Licet autem hoc princeps, ut dictum, facere poſſit, tamen ſine iuſta &*

legitima cauſa hoc facere non debet, text. eſt in l. 2. in fin. ff. de natal. reſtit. Gail. 2. obſ. 142. n. 15. *Tali autem interveniente, qualis eſt favor publicæ utilitatis, poteſt Imperator dominium rerum privatarum ſive res privatas auferre*, Dd. communiter per notata in c. 7. de conſtit. ubi communiter Canoniſt. Dd. in l. fin. C. ſi contra jus vel util. publ. & in l. quoties 2. C. de precib. Imper. offer. Jaſ. ibid. n. 3. Covarr. 3. var. reſolut. c. 6. n. 6. Gail. 2. obſ. 56. *Favor ſiquidem publicus privatæ utilitati præponendus*, text. in c. Imperialis, princ. de prohib. feud. alien. per Lothar. *text. etiam* in l. 3. §. 15. ff. ad SC. Syllan. in l. unic. §. 14. C. de caduc. toll. *Et publicæ utilitatis gratia à communis iuris regulis diſceditur, multaq; permittuntur, quæ aliàs ſunt interdicta & prohibita*, l. 51. §. 2. verſ. multa, ff. ad l. Aquil. *Aequitati autem rationi, & juſtitiæ conſentaneum eſt, ut Imperator auferens res privatorum ex juſta causâ ſolvat juſtum precium*, Jaſ. in l. Barbarius, ff. de offic. præt. num. 36. cum ſeq. Vaſq. illuſtr. controv. lib. 1. cap. 5. n. 9. *Niſi velit uti poteſtate abſoluta, quæ tamen nunquam præſumitur, niſi exprimatur in reſcripto, ſed potius ordinaria præſumitur poteſtas, quod verum, ſi ſit caſus, qui ſine abſoluta poteſtate, explicari poteſt: nam ſi actus plenitudinem poteſtatis requirat, tunc præſumptioni locus eſt, quod Princeps voluerit uti plenitudine poteſtatis, ad hoc, ut actus potius valeat, quàm pereat, ſecundum* l. 12. ff. de reb. dub. l. 80. ff. de V. O. Caſtr. in l. ex imperfecto. n. 1. C. de teſtam. Vaſq. illuſtr. controv. c. 26. n. 8. cum ſeq. lib. 1. Dec. conſ. 77. n. 4. in fin. Felin. in cap. 1. num. 27. de conſtit. Gail. 2. obſ. 56. c *Sive ſint initi cum ſubdito, ſive cum non ſubdito. Nihil ſiquidem tàm naturali æquitati conveniens eſt, quàm quæ placuerunt ſervare, per vulg.* in l. 1. ff. de pact. *quæ vel maximè in principe obtinuit*, Dd. ibid. *& legibus noſtris cavetur, neminem poſſe facto ſuo contravenire*, l. poſt mortem

25. ff.

25.ff.de adopt.l.5. C. de ſerv.pign.dato. *Fraus enim omnibus fœda eſt, præcipuè iis, qui majori dignitate præditi ſunt, ut inquit* Thucid.lib.4.hiſtor.*Hinc laudabile eſt reſponſum, Regis Galliæ Franciſci I.ſuadentibus namq; nonnullis, quod Carolum V. Imp. apud ipſum divertentem detineret, dixit: Etiamſi fides toto orbe exulet, Regibus tamen tenendam eſſe. In contractibus princeps jure communi utitur* Bald.in l.ex imperfecto, C. de teſtam.Zaſ.ad l.2.§.30.ff.de orig.jur.n.21. Weſenb.in parat.de conſtit.princ.in fin.Dec.conſ.287.num.6.*ubi dicit, quod in contractibus princeps conſideretur ut privatus, ita ut teneatur ſervare, quod promiſit, & contravenire non poſſit, quia obligatur de jure naturæ propter conſenſum & ex conſenſu* Dd. in l.digna vox, C.de ll.*Ius autem naturæ eſt immutabile*,§.ſed naturalia Inſtit. de J.N.G.& C. *Atq; ipſo principe ſuperius. Inferior autem non poteſt abrogare legem ſuperioris*, Bald.conſ. 76.lib.2.Tiraq.de pœn.ll.tempor.cauſ.38. num.2.*Iuſtitiæ quoq; commutativæ proprium eſt, nullum habere reſpectum perſonarum*, Zaſ.ad l.31. ff. de ll. Weſenb. parat. tit. de J.& J. num.11.*Quod adeò verum eſt, ut nec plenitudo poteſtatis, nec ulla urgens clauſula principem eximat*, Dec. conſ. 151. num. 11. Schurpff. conſ.50.num.4. *Quæſtio autem hîc oritur intricatiſſima: An ſcilicet Principes anteceſſorum pacta, & contractus ſervare teneatur. Variæ ſunt diſtinctiones Dd.præſertim politicorum. Nos diſtinguimus* 1. *An pactum vel contractum ſit de re propria, & ita quaſi privata, an ad Rempublicam pertinente.* 2. *An Imperium capeſſerint tanquam jure hæreditario, an lege Regia, vel pactis gentilitiis, ipſo ſanguinis & non hæreditatis jure.* 3. *An tanquam adminiſtrator Reipubl. hujus utilitate id exigente paciſcatur princeps, an ſecus. Videatur* Dn. D. Reinkingk de R.S.& Eccl.lib.1.cl.3.c.10. *qui hanc quæſtionem elegantiſſimè tractavit, prout &* D. Arum. diſc.5. ad A.B. ad cap.15. pag.255.

V. Vi

V.

Vi tamen ſummæ poteſtatis, quam habet, figit leges generales, *a* quibus omnes tenentur, *b* bellum indicit, *c* collectas generales imponit *d*.

a *Olim Impp. pro ſuo arbitrio leges univerſales condiderunt*, l.3. & l. fin. C. de ll. l.2. C. de vet. jur. enucl. *easq́ interpretati fuerunt*, l.11. ff. de ll. l.9. & ſeqq. l. fin. C. eod. *Hodiè autem poteſtas aliquo modo ſpatio circumſcripta eſt. Hoc enim tempore in univerſo Imperio Romano-Germanico univerſalem legem condit Imperator cum conſilio & ſuffragio Statuum Imperii. Hinc eſt, quod leges in Comitiis Imperialibus conditæ appellentur Receſſus Imperii:* Deß Reichs Abſchied. *Hoc olim etiam obtinuit de jure Codicis, prout habemus textum* in l. humanum 8. C. de ll. ibi: *& cum omnes conſenſerint, tunc demum in ſacro noſtri numinis Conſiſtorio recitari, ut univerſorum conſenſus noſtræ ſerenitatis autoritate confirmetur*, Dn. D. Vult. 1. feud. c.5. num.7. *Specialem tamen & localem legem cæteri inferiores Principes & Status Imperii vigore ſuperioritatis*, Krafft Landsfürſtlicher hoher Obrigkeit / *quæ ipſis ratione territoriorum competit, condunt. Conſenſus tamen primariorum ex nobilitate & maioribus civitatibus provinciæ, in quâ conventus celebratur, requiritur: Iura quoq́ provincialia, conſtitutiones provinciales,* Hoff vnd Landgerichts Ordnung / *promulgant, contrarias abrogant, novas ſubinde conſtituunt, quibus ſubditi, etiam ſine aſſenſu Imperatoris, ſubjiciuntur*, Matth. Coler. de proceſs. execut. p.1. c.3. n.6. & ſeqq. Tiber. Decian. reſp.56. n.2. vol.2. *Secundum quas Camera Imperialis obſtricta eſt pronunciare*, Ordin. Cam. p.1. tit. 57. ibi: Nach redlichen Erbaren vnnd Ländischen Ordnungen / Statuten vnnd Gewonheiten der Fürſtenthumb / Herꝛſchafften vnd Gericht. b *Antiquitùs ipſi Pontifices Imperatorum legibus vivebant, quod ipſe*

Leo

Leo IV. qui præcepta Lotharii & Imperatorum omnibus modis ſervaturum ſe profitetur, teſtimonio ſuo ſatis ſuperq́; probat, c. de capitulis, diſt. 10. Sigon. l. 5. ſub Lothario primo. *Clerici etiam priorum Imperatorum tempore legibus Cæſareis ligabantur*, l. 26. C. de Epiſc. & Cler. Nov. 123. c. 3. Cujac. in l. 7. C. de Epiſc. audient. *Iure autem Pontificio Clerici Papæ ſubſunt*, c. ſolicitæ, de majorit. & obed. *De uſu hodierno negari non poteſt: Epiſcopos etiam Principes & Status imperii eſſe, unde ab illis non Eccleſiaſticus, ſed ſecularis Magiſtratus appellatur. Juriſdictio enim ab origine ſua ſeparari non poteſt*, Bald. in tit. de feud. March. &c. in princ. Covarr. pract. quæſt. c. 4. nu. 2. Menoch. conſ. 322. Gail. 1. obſ. 30. n. 1. & 2. c *Ex juribus Majeſtatis, quæ ſoli Imperatori competunt, ſunt etiam armandiæ, ſive ius tractandorum armorum ex conſtitutione Friderici*, c. un. quæ ſint regalia. *quod ius conſiſtit non tantùm in cura armamentarii publici: ſed etiam in poteſtate diſponendi & ſtatuendi de indicendo ducendoq́; bello. Hoc ius etiam apud antiquos locum habuit, neminiq́; olim, niſi cui ſpecialiter id conceſſum, licitum fuit, arma movere. Vnde* Plato lib. 2. de legib. *ſanxit: Si quis conſilio ſuo abſq; autoritate communi pacem inivit, aut bellum movit, ultimo ſupplicio damnetur, quod etiam poſtmodum legibus noſtris civilibus cautum eſt. Refert enim* Martianus in l. lex 3. ff. ad l. Jul. majeſt. *quod ipſum poſtea reſcripſerunt* Impp. Valentinianus & Valens in l. nulli, C. ut armorum uſus, &c. *quod nemini liceat inſciâ & inconſulta majeſtate, arma quæcunq; movere. Imò* l. Jul. de vi publ. *tenebatur, qui arma, tela domi ſuæ agróve in villa præter uſum venationis, vel itineris, vel navigationis coegerat*, l. 1. ff. ad l. Jul. de vi public. *Quæ conſtitutiones uti ſunt utiliſſimæ, ita etiam meritò adhuc obſervantur, præſertim inter Principes. Conſtitutionibus namq; Imperii expreſſè eſt ſancitum, ut nulli Principum, ſine per-*

miſſu Imperatoris arma movere liceat, ut patet ex Ordin. Cam. part. 2. tit. 15. ibi: Auß der Keyſerlichen Mayeſtet/oder unſerm Zugeben und Erlaubnuß/ R. A. de anno 1555. §. wo ſie aber. *Quod ſi verò Principes arma ſuſcipiant, in Camera Imperiali mandata avocatoria contra eos ſub pœna banni & amiſſionis omnium beneficiorum & privilegiorum decernuntur, & per nuncios Camerales inſinuantur, vel ex aula Cæſarea miſſo feciali*, Ordin. Cam. p. 2. t. 9. Gail. lib. 1. de pac. publ. c. 4. *Excipitur tamen caſus neceſſitatis, & ubi periculum eſt in mora. Jus autem belli indicendi Majeſtati ita inhæret, ut nullâ ratione ab ea divelli poſſit. Et movere bellum ad ſolum Principem ſummum pertinet*, ut notant Dd. in l. ex hoc jure, ff. de J. & J. *Etiamſi autem, ut jam dictum; ſoli Imperatori competat ius guerræ ſeu publici belli; tamen ex conventione imperii hoc ſine conſilio & ſuffragio Electorũ movere non poteſt*, Sleidan. lib. 1. hiſtor. Heig. quæſt. 18. num. 6. *Hoc loco præterire non poſſumus, quod olim ex conſtitutione Caroli IV. licitum erat principibus juſtâ ex causâ præmiſſis tamen diffidationis literis movere bellum, ut patet* ex c. 17. A. B. *quod poſteà Fridericus Imperator ad illum caſum, reſtrinxit, ſi diffidator juſtitiam impetrare non potuiſſet*, R. A. anno 1442. §. zum erſten/daß niemand den andern. *Quæ tamen diffidationes, tanquam ſcaturigo multorum malorum*, Zaſ. in l. ſi mater, §. ſi filius, ff. de vulg. & pup. ſubſtit. *à ſequentibus Imperatoribus ſunt ſublatæ, & primò* à Maximil. I. in Comitiis Wormatienſibus anno 1495. ſub rubrica, der Königliche Landfrieden / darauff haben wir alle / ꝛc. In Comitiis Auguſtanis anno 1500. ſub rubr. Erklärung deß Landfriedens. *Secundò* à Carolo V. in Comitiis Auguſtanis, anno 1548. ſub rubr. Römiſcher Keyſerlicher Mayeſtat und deß heiligen Reichs Landfrieden/§. und darauff haben wir. *Imò non ſolùm diffidans, & ejus ſocii, ſed etiam diffidationis literas ſcribens ultimo*

tumo

timo ſupplicio punitur, Conſtit. crimin. Carol. V. art. 129. R. A. de anno 1594. §. dergleichen vnd dieweil. d *Quæ aliàs etiam indictiones Imperii* (Reichs Anlage oder Reichs Stewer) *vocantur, & ob publicam utilitatem, pacem & tranquillitatem in Imperio, & ubiq́, contra hoſtem Chriſtiani nominis conſervandam à Cæſare.* (*deſcendunt enim à reſervatâ ſupremâ, & ſemper apud Imperatorem perpetuò reſidente Imperii poteſtate*, Meichſn. tom. 1. lib. 1. deciſ. 6. n. 24.) *ex placitis imperii & ſtatuum voluntate & conſenſu* (*qui hodiè requiritur, prout in multis imperii receſſibus animadvertere licet, confer* Sleidan. hiſtor. lib. 1. & Heig. quæſt. 18. n. 8. part. 1. Thom. Mich. de juriſdict. concl. 11 lit. B.) *indicuntur. Ab hujuſmodi collectis imperii nemo, cujuſcunq́ etiam ſtatus ſit, eximitur, etiam Clerici privilegiati & exempti*, R. A. de anno 1544. §. vnd zu dieſen Chriſtlichen. *Sed quid juris, ſi quis de Comitatu quodam*, frey/geruhlich ohne Stewer *inveſtitus eſt? Neq́ illum ab onere collectarum eximi, dicit* Modeſt. Piſtor. conſ. 4. in princ. num. 5. & ſeq. vol. 1. *Exigendæ autem ſunt collectæ ſecundum proportionem Geometricam, habitâ ratione bonorum cujuſque*, in d. receſs. anno 1544. §. als aber wir/ibi: auch keiner für den andern beſchweret werde/ſondern ein jeder nach ſeinem vermögen/ꝛc. *A collectâ verò hac imperiali differt collecta provinlis, quam appellamus* Landſtewer/ *& circularis, de quibus* Dn. D. Reinkingk de reg. ſec. & Eccl. lib. 1. cl. 5. c. 3.

VI.

Vectigalia nova inſtituit, *a* privilegia & immunitates concedit, *b* famæ & honoribus reſtituit, *c* Naturales legitimos reddit: *d* Ejusq; ſolius auctoritate Academiæ ſeu Univerſitates eriguntur. *e* Et quis omnia parvo faſciculo poſſet comprehendere.

a l. 3. C. vectigal. nov. inſtit. non poſs. l. unic. §. 3.

ff.de l. Jul. ambit. l. vectigalia, ff. de public. & vectig. R. A. de anno 1576. §. Darburch dann nicht / ibi: Sondern weil auch das alles zu unſerer Keyſerlichen beſondern Hoheit unnd Reſervaten: *Et mandata pœnalia, etiamſine clauſula adverſus eos, etiamſi Electores ſint, qui vectigalia nova inſtituunt, obtiner poſſunt:* prout plurima videntur præjudicia in deciſionibus & præjudiciis Cameræ, in verb. mandata ſine clauſula, pag. 191. & in verb. vectig. pag. 150. Roſenth. de feud. c. 5. concl n. 12. *Licentiam tamen interdum concedit Imperator aliis per modum privilegii erigendi vectigalia*, R. A. de anno 1530. §. wiewol auch der Abſchied / *ibi:* dergleichen trägt ſich offtermal zn / daß leichtfertige / muhtwillige Leut / die Zöll / damit die Obrigkeit beſonders begnadet und privilegirt / ꝛc. *Sic quoq; peculiaris reſervationis Imperatoris ſignum eſt, quod nemo poſſit ultra portoria ſolita aliquid exigere*, R. A. de anno 1576. §. weiter ſeind wir auch / & ſeq. *Notandum autem hoc eſt; vigore contractus, Imperator abſq; conſenſu Electorum nova vectigalia non erigit: ut patet ex capitulatione Caroli V. apud* Sleidan. lib. 1. Vaſq. de ſucceſs. progreſs. in præfat. num. 115. b

Pertinere hanc poteſtatem ad Majeſtatis capita, etiam Cicero *oſtendit, dum* 3. de legib. *ait: Privilegium ſine maximo Comitiatu non irroganto. Poſtquam enim Majeſtas depoſita fuit in ſinum Imperatoris, id juris quoq; unà tranſiit* Plutarch. in Pomp. *Textus etiam hac re habemus in jure civili, ut* t. t. C. de immun. nem. conced. l. unic. C. de his qui à Princ. vacat. accep. l. immunitas, ubi Dd. C. de agricol. & cenſit. l. 1. §. fin. l. 3. ff. de conſtit. princip. Vid. Lancell. in templ. omn. judic. l. 1. c. 1. §. 4. verb. immunitates, & verb. privilegia poteſt condere, Carol. Tapia ad rubr. de conſtit. princ. c. 4. num. 30. Vaſq. de ſucceſs. creat. §. 26. num. 81. *Privilegia etiam Imperator confirmat*, M. Anton. Natt. concl. 636. Tib. Decian.

conſ.

conſ.8.num.225.& conſ.18.num.139.vol.3.l.ex facto 43.in princ.ubi Jaſon num.4. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. l.1. & fin.C.de legib. c l.cum indulgentia 10.& t.t. C.de ſentent. paſs. §. 1. Inſtit. quib. mod. jus patr. pot.ſolv.Roſenth. de feud.c.5.concl.2.num.4.lit. D.Sfortia Odus de reſtit.in integr.q.92.art.9.num.91. R A. zu Augſpurg/ anno 1525.*in quo Imp.Ferdinandus ſeditioſos ruſticos honori & famæ reſtituit,* §.vnd iſt derhalben. d *Solus Imperator habet jus legitimandi ſpurios & naturalibus reſtituendi,* l.3. & t.t. ff.de natal.reſtit.Nov.89.c.illud tamen 9. *Hanc tamen poteſtatem Imperator Comitibus Palatinis concedere ſolet,* Gail.2. obſ.142.num.1, e *Fundatio Univerſitatum, itemq; privilegiorum conceſſio à ſuprema poteſtate & autoritate imperiali dependet, uti & confirmatio, quando videlicet ab alio ditantur aut ædificantur.* Ferr. Montan. de feud. l.2. c.1. v. quandocunq;.& lib.5.cap.7. v.regalia, Zaſ.in Epitom.feudal.p.5. num.14. D.Vult. de feud.c.5. num.7. *Sicut enim olim privilegia univerſalia ex* l.12.tabul.*non niſi centuriatis comitiis, & à populo; Ita hodiè non niſi ab eo, qui gubernacula Reipubl. ſuo jure moderatur, conceduntur,* Obrecht. in tract. de regal.tit.9. *Et quod Imperatoris ſit, confirmare Academias, probat* Ordinatio Cameræ p.1.tit.3. §. desgleichen ſollen die Beyſitzere. *Non ſolùm autem illæ Academiæ, quæ ab Imperatore eriguntur, ſunt veræ & legitimæ Academiæ, ſed etiam quæ autoritate Pontificis eriguntur, prout in Germania plures habemus: Illorum autem ſententia falſiſſima eſt, qui putant & volunt, pro Academiis habendas eas non eſſe, quæ Pontificiâ autoritate carent. Non enim regalia Imperatoris dependent à nutu Pontificis, ſed Imperator, ut ex ipſa electione nomen Imperatoris aſſumit, ita quoq; omnia jura Imperatoria conſequitur, nec voto Pontificis, vel eius conſenſu opus habet,* Obrecht. de regal. concl.10. *Imò fatentur ipſi*

Pontificii; Imperatorem poſſe creare Doctores etiam in Jure Canonico, quamvis illius iuris autoritatē penes ſolos Pontifices poſitam eſſe exiſtiment, Bart. & alii in l. cunctos populos, C. de ſumma Trinit. & fid. Cathol Hartm. Hartm. in pract. obſerv. t. 33. de matrimon. obſ. 6. in fin.

VII.

Hactenus de ſupremo Magiſtratu. Sequitur inferior; qui eſt Rex Romano-Germanicus. *a* Principes *b* aliiq; in gradu eminenti conſtituti *c*.

a *Etiamſi quidem Feudiſtæ Imperatorem Regem nominant*, Hottom. in lexic. feudal. verb. Rex, Roſenthal. de feud. c. 5. concl. 1. lit. C. *Nos tamen hoc in loco ſeparatim Regem ab Imperatore ponimus, cùm non ſolùm ſit inferior, & proximum ab Imperatore locum obtineat, ſed etiam ipſo præſente Imperatore eius poteſtas obnubiletur, & quaſi ſub cineribus ſepulta deliteſcat. Perpetuus autem eſt Rex Romano-Germanicus Imperii Vicarius conſtitutus*, Matth. Steph. de juriſdict. l. 2. p. 1. c. 2. num. 51. Schonborn. l. 5. polit. c. 19. *idq; à lege ſcilicet Aureâ Bullâ* tit. 2. *electione & cōnſenſu omnium Statuum imperii, cuius electionis formam vide* in A.B. tit. 1. §. ſtatuimus inſuper, & tit. 2. *Habetq; iuriſdictionem & maieſtatem ordinariam & proprio iure, non tamen aliam, ſed eandem numero: ideoq; unum idemq; cum Imperatore tribunal habere cenſetur*, c. non putamas, de conſuet in 6. *nec ab uno appellatur ad alium*, c. Romana, de appellat. in 6. *Abſentis vel impediti Imperatoris vices & locum ſuſtinet, cuius vicariatus vi omnia iura imperatoria exercere poteſt*, Iſern. in c. Imperialem, in princ. de prohib. feund. alien. per Frider. *niſi expreſſe quid eſſet prohibitum*, Iſern. in d. cap. Imperialem, num. 13. *vel ipſe Imperator plerunq; facere non ſit ſolitus*, Roſenth. de feud. p. 1. c. 9. concl. 30. num 8. *& poſtea Imperii ſede vacante, ſucceſſor Imperatoris & imperii eſt* R. A. anno

anno 1559. in princ. *ſtatimq́; à morte Imperatoris adminiſtrationem ſuſcipit* R. A. de anno 1566. in princ. b *Vocabulum* Principis, *propriè Imperatori competit*, l. princeps, ff. de legib. l. 1. & t. t. ff. de conſtit. princ. §. ſed & quod principi, Inſt. de J. N. G. & C. c. 1. de natur. feud. c. 1. quis dicatur dux, &c. *Poſtmodum autem eò deventum eſt, ut Duces, Marchiones, & ſimilem majorum feudorum regiam dignitatem habentes, generaliter principes vocentur: idq́; fit expreſſe à Friderico I. in jure feudali*, c. 1. in princ. in verb. à principibus Italicis, de prohib. feud. alien. per Frider. *& paſſim à Carolo IV.* in A. B. *Inde tali principum appellatione non ſolùm Duces, Marchiones, Landgravii, ſed etiam Comites, & Barones continentur*, Schrad. de feud. p. 10. ſect. 1. num. 28. Decian. reſp. 19. num. 234. *Quocirca omnis Elector, Dux, Marchio, Landgravius, princeps eſt, ſed non viceverſa omnis princeps eſt Elector, Dux, Marchio, Landgravius: qualis eſt Princeps Anhaltinus, quinec; Dux, vel Marchio, &c. Sunt autem Principes (generaliter ſcilicet accepto vocabulo, pro omnibus regalem dignitatem poſſidentibus ſub immediata Imperatoris imperiiq́; juriſdictione) Status Imperii, & vocantur membra, quia capiti ſuo, id eſt, Imperatori uniuntur. Vnde dicuntur* Eingeleibte Glieder der Keyſerlichen Mayeſtet / R. A. de anno 1541. in princ. *Item* Chriſtliche Glieder deß Reichs / R. A. anno 1542. in §. vnd wiewol in den jüngſten. *His ſtatibus Imperii partim ex contractu & inveſtitura feudali, partim ex privilegio vel expreſſo, vel tacito, communicatum eſt jus territorii a Cæſare: cujus communicationis vigore, eam exercent juriſdictionem in ſuis ditionibus quam Imperator in univerſo imperio, exemptis quibuſdam, quæ ſoli Imperatori reſervata ſunt, de quibus aliqua ex parte* in th. 5. & 6. *dictum*. Confer D. Reinkingk de R. S. & E. lib. 1. cl. 5. c. 6. *qui latiſſimè hanc Dd. theoricam tractavit, an ſcilicet*

&

& quatenus poſſint Principes in ſuis territoriis, quod Imperator in Imperio. Ac ejuſdem ſuperioritatis jure multa regalia ſibi vindicant, de quibus Schonborn. polit. 5. cap. 25. & ſeqq. *Obtinent autem inter ſtatus Imperii locum primum Electores, uti conſtat* ex tit. 2. Aur. Bull. §. **vnd dieweil von alter /** *ubi vocantur membra capiti proximiora. Sunt ſupremi patres & Senatores Imperii, uti ſeipſos appellant* apud Hortledd. in **Reichshandlung /** l. 1. cap. 37. a. 511. *Item Nobilia Imperii fulcra & Proceres, ſacrum ædificium circumſpecta prudentiæ pietate ſuſtinentes,* Aur. Bull. tit. 3. in princ. *quorum præſidio dextera Imperialis potentiæ roboratur,* ibid. *qui in Comitiis univerſalibus Imperatori, veluti numini in cælis aſſident, ut 7. Planetæ, in Zodiaco Imperii ſtatas officiorum Periodos obeuntes.* Lanſ. in orat. pro German. pag. 112. *Hi Electores præ reliquis ſtatibus Imperii plura habent jura. Poſſunt enim 1. eligere Cæſarem ſeu Imperatorem,* Aur. Bull. tit. 17. *quamvis enim omnis juriſdictio Electorum ab Imperatore pendeat, poteſtas tamen eligendi indubitanter penes eos eſt,* Dan. Moller. ad conſtit. Elect. Saxon. tit. 13. num. 24. part. 3. 2. *Poſſunt eundem ex juſtis cauſis cum conſilio ſtatuum deponere,* Mynſ. reſp. 1. n. 6. prout ſuprà th. 3. dictum. 3. *Illis peculiariter conceſſum eſt, ut abſque veniæ impetratione, conventus pro ſalute & incolumitate Reipubl. in Germania indicere poſſint,* tit. 12. Aur. Bull. 4. *Habent quoque ex Aur. Bull. hoc ius, quod ab ipſorum, vel eorum officialium ſententiis nulla datur appellatio,* tit. 11. *niſi in caſu denegatæ iuſtitiæ,* ibid. Ordin. Camer. p. 2. tit. 26. *quod tamen ius Eccleſiaſtici Electores & Comes Palatinus neglexerunt, ut ita hodiè à ſolius Electoris Saxoniæ (includuntur etiam Duces Saxoniæ, qui non ſunt Electores,* Knich. de Saxon. non provoc. jure) *& Brandeburgenſis ſententiis non poſſit appellari, qui Electores illud in viridi adhuc obſervantia conſervarunt. Quod privilegium etiam habent Archidu-*

chidu-

chiduces Auſtriæ, Duces Lotharingiæ & Burgundiæ, Treutl. vol. 2. diſp. ult. th. 4. lit. c. Mynſ. 5. obſ. 58. *Non videtur autem jus hoc extendi ad nullitatis querelam ex ſtylo Cameræ*, Thom. Mich. de juriſd. concl. 26. *Porrò peculiare hoc ius habent Elector Palatinus & Saxo, quod vacante Imperio Rom. vices Imperatoris in omnibus ac per omnia ſuſtineant*, Aur. Bull. tit. 5. *exceptis feudis maioris dignitatis* der Fürſten Fahnlehen/ *(quorum inveſtitura per inſigne vexilli conferri ſolet;) horum enim inveſtitura ſoli Imperatori & Regi Roman. reſervata eſt*, d. tit. 5. R. A. zu Wormbs de anno 1521. §. ob auch Sachen fürfielen/ Ordin. Cam. p. 2. tit. 7. *Illud etiam Comitis Palatini Rheni inſigne privilegium eſt, quod Imperator vel Rex Romanus coram ipſo conveniri poſſit: quo tamē caſu iudiciū non in Palatinatu, ſed in ipſius Imperatoris curiâ, poteſt inſtitui*, Aur. Bul. tit. 5. c. (*Vt ſunt liberæ civitates. Habent enim iura territorialia ſive iura ſuperioritatis*, Gail. 2. obſ. 57. n. 7. *& in ſuo territorio iura principis uſurpant, & vicem principis obtinent*, Bart. in l. infamē, num. 14. ff. de public. d. Gail. in tract. de arreſt. c. 9. num. 1. *Suntq́; ſtatus Imperii, quandoquidem. 1. in matricula ſeu albo Imperii ſunt receptæ. 2. Seſſionem & votum in Comitiis habent. 3. Indictiones & collectas Imperio immediatè pro rata ſuâ, quolibet tempore ſolvunt. 4. Territorium cum omnimodo iuriſdictione & regalibus, immediatè à vel ſub imperio poſſident: quæ quatuor requiruntur, ut aliquis ſit vel cenſeatur ſtatus Imperii. Hæ Civitates à quolibet in Camera conveniuntur; Superiorem enim quam Cæſarem aut Cameram non agnoſcunt. Excipiuntur tamen quædam, quæ ex privilegio vel longiſſimi temporis præſcriptione ius Auſtregarum, & ſic alibi primam inſtantiam habent*, Gail. 1. obſ. 1. num. 20. *Nobilibus quoq; competit officium Magiſtratus: quorum genera ſunt duo: quidam enim immediati ſubſunt imperio, ita ut neminem niſi Imperatorem & imperium*

recognoſcant, & dividuntur à loco in tres claſſes, Franconicam, Suevicam, & Rhenanicam. Hi Nobiles licet eximiis privilegiis præ aliis ſint ornati, ſtatus tamen Imperii non ſunt: Seſſionem enim & votum in Comitiis non habent; unde etiam in ſubſcriptionibus receſſuum Imperii non inveniuntur: Plerumq; tamen vicinorum Principum ſunt Vaſalli, qui etiam in eorum territorio maxima regalia, vigore der Landsfürſtlichen Obrigkeit *habent. Horumq; nobilium immediatorum caſtra iiſdem utuntur privilegiis & juribus, quibus civitas vel alia Univerſitas, ut declarat* Gail. 2. obſerv. 62. num. 3. *Habent etiam* Jus *Auſtregarum,* Ordin. Camer. part. 1. tit. 3. & 5. *Quidam Nobiles ſunt mediati, qui ſcilicet non Imperatori & Imperio, ſed aliis Superiorib. & Statibus immediatis ſubſunt. Hi licet tantis privilegiis taliq; libertate non fruantur, quâ immediati, habent tamen plerumq; non ſolùm dignitatem, ſed etiam poteſtatem aliquam: videmus enim, quod à Principibus pagos, vicos, caſtra, & alias id genus terras cum adhærentiis, pertinentiis, juriſdictione & aliis modis concedantur,* Roſenth. de feud. c. 5. concl. 8. Schrad. de feud. part. 3. cap. 4. Paurmeiſt. de juriſdict. lib. 2. cap. 9. *Civitates itidem Municipales gerunt officium Magiſtratus, quod tamen longè eſt diverſum ab illo officio prædictorum Magiſtratuum. Nam ſupra* in th. 2. lit. A. *diximus, quod vocabulum* Magiſtratus *dupliciter accipiatur: 1. pro quavis poteſtate, eaq; vel mediata, quâ hodiè fruuntur Principes Rom. Imp. Barones, &c. vel immediatâ, quâ gaudet ſolus Imperator. 2. pro eâ, quæ huic ſubjicitur: qualem habent Magiſtratus Municipales: Horum enim poteſtas pendet à poteſtate Superioris Principis, cui omninò ſunt ſubjecti, & cujus juriſdictio eſt ſuperior: & talis Magiſtratus plerumq; definitur: quod ſit perſona publica, legitima imperandi poteſtate inſtructa, ad benè gerendam & adminiſtrandam Rempublicam.* Hoenon diſp. polit. 3. th. 2. *De hoc Magi-*

ſtratu